



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Theologiæ Speculativæ Scholasticis Prælectionibus Et Exercitiis Accommodatæ Libri IV

Haunold, Christoph

Ingolstadii, 1678

Capvt VI. De Moralitate Actvs Externi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82733](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82733)

CAPVT VI.

DE MORALITATE ACTVS
EXTERNI.

EGimus hæcenus de Moralitate intrinseca actuum, agendum nunc breuiter est de Moralitate extrinsecus adueniente actibus, nempe ab actu imperante; & hæc quidem denominatio præcipue convenit actibus aliarum potentiarum, non habentium propriam libertatem, v. g. ambulatio ad locum pium ex motivo religionis, denominatur honesta ab actu interno Religionis, à quo imperatur. nihilominus etiam Voluntas actus prout imperati etiam vocari solent (minùs tamen propriè) *actus externi*, & de iisdem etiam procedit quæstio, an possint participare moralitatem ab actu imperante, non obstante propriâ intrinsecâ moralitate.

CONTROVERSIA I.

Verum Actus Externi propriè dicti habeant aliquam Moralitatem propriam, superadditam actui Interno.

380. **Q**uæritur, an, exempli gratiâ, qui Actum dat Eleemosynam, ex voluntate honesta, plus ponat Bonitatis Moralis in ordine ad plus præmij promerendum, quàm ille, qui habet quidem Voluntatem de se efficacem dandi eleemosynam, sed ex defectu pecuniæ non potest ponere Actum Externum. Idem est de actu malo.

Prima Sententia affirmat, & vult, Actum Externum addere interiori aliquid saltem in ordine ad præmij vel pœnam accidentalem. *Guilielm. de Rubione in 2. dist. 42. Bonav. ibid. a. 1. q. 2. cui ex parte accedunt Richard. & Pallav.*

Contraria & Negativa Sententia communissima & vera est. Probatur primò autoritate SS. PP. S. Chrysostomus hom. 19. in *Matth. Voluntas*, inquit, est quæ aut remuneratur pro bono, aut condemnatur pro malo: opera autem sunt testimonia voluntatis. S. Augustinus l. 1. de lib. arb. c. 3. Si cui non contingat voluntas concumbendi cum conjuge aliena, planum tamen aliquo modo sit, id eum cupere, & si potestas detur facturum esse, non minùs reus est, quàm si in ipso facto deprehenderetur.

Richardus de S. Victore Lib. 2. de Sacram. p. 14. c. 6. *Vbi aliquid datur, & vbi nihil datur, differens meritum esse non potest, si æqualis utrinque voluntas habeatur.* S. Gregorius hom. 5. in *Evang.*

Exteriora nostra Domino quantumlibet parva sufficiunt, cor namque, non substantiam pensat.

Probatur 2. Ratione. Sicut se habet simpliciter ad simpliciter, ita magis ad magis: æquè simpliciter ratio laudabilitatis & meriti, vituperabilitatis & demeriti fundatur in libertate actus; ergo major laudabilitas & vituperabilitas, vel majus meritum & demeritum, debet fundari in majore libertate: atqui Actus Externus nullo modo per se auget libertatem, cum hæc tota consistat in Actu Interno: ergo tota ratio laudabilitatis & meriti consistit in actu Interno.

381. Obijciunt aliqui primò, nostram sententiam numerari inter errores Abailardi. *Re. Errorum 13. illius authoris sic habere. Propter opera nec pejor nec melior efficitur homo. quæ propositio damnatur in sensu hæreticorum nostri temporis, negantium etiam actibus Internis rationem meriti: atque etiam damnatur quatenus tollit omnem rationem peccati, neque enim distinguit inter opera interna & externa. videatur Vasquez d. 76.*

382. Obijciunt 2. In Decalogo non tantum prohibetur Internum desiderium rei alienæ, sed prohibetur etiam, & quidem præcepto distincto, Actus Externus: *non Mœchaberis, non Furtum facies, &c. Re. Non propterea actum Externum superaddere novum demeritum, sed illis præceptis exprimi etiam solum Internum desiderium conditionatum, & sine actu Externo positum, esse peccatum, actum verò Externum habere rationem peccati propriè dicti, ob quam causam est etiam explicandus in confessione, ut declarabitur in proprio loco.*

383. Obijciunt 3. Verba quædam S. Augustini lib. 13. de *Trinit. c. 5. Malà, inquit, voluntate vel solà quisque miser efficitur, sed miserior potestare, quâ male voluntatis desiderium impletur. Re. S. Augustinum plus non voluisse, quàm, quòd per se loquendo, hoc est, communiter, ratione actus Externi fiat, ut actus Interior etiam pejor sit, vel certè quòd actus Externus relinquit in operante inclinationem ad malum, quam non relinqueret solus actus Internus, & verumque verissimum est. Primum quidem, quia quando actio externa accedit ad internam, solet communiter actus etiam internus durare diutius, & elici cum majori vehementiâ, quàm quando non est potestas exercendi actum externum. Secun-*

um etiam

dum etiam certum est, nam ipsa experimentalis deglutatio actus Externi, generat vehementiorem inclinationem ad idem objectum deinceps inordinatus desiderandum, ut experientia docet.

384. Obijciunt 4. Desiderium Martyrij non meretur laureolam Martyrum, sicut Martyrium ipso facto persequitur: atqui laureola est primum quoddam accidentale: ergo actus externus meretur ultra actum internum aliquod primum accidentale. R. Si Deo libitum esset, posset actibus externis dare correspondens aliquod bonum, sive deinde vocaretur primum, sive non. In Martyrio constat hoc Deum specialiter velle, ita quidem, ut Martyrium conferat suum effectum ex opere operato etiam infantibus, nullum internum meritum habentibus. Sed hoc non licet extendere præterquam ad actiones sacramentales.

385. Obijciunt 5. Leges humanæ gravius puniunt delicta, quando sortiuntur effectum, quam quando non sortiuntur: ergo signum est, quod legislatores agnoscant maiorem malitiam in uno, quam in altero casu. R. à legibus humanis argumentum nullum duci posse comparatione facta cum tribunali Dei, & quoad laudabilitatem vel vituperabilitatem quam habent actus ex natura rei. Nam leges humanæ sapè nullam penam statuunt delicto, non secuto effectu, quantumvis fuerit attentatus, & evidenter constet de attentatione; sicut etiam quandoque præmiatur actus solum quando sortiuntur effectum; quando autem non sortiuntur, nullum primum statuunt. Quare autem leges hoc ita statuunt, non est huius loci discutere. Ratio breviter reddi potest, quia leges humanæ intendunt maxime cavere damna realia, ad quæ cavenda plerumque sufficit penam alligare effectui: in casibus vero extraordinarijs quandoque etiam attentata puniuntur, etiam si effectus non fuerit secutus.

386. Obijciunt 6. Complexum ex actu interno & externo est quid optabilius, quam solum actus internus: ergo qui utrumque ponit, est laudabilior, quam ille qui ponit solum internum. R. Negando consequentiam; alioquin etiam esset laudabilior concionator, ex cuius sermone plures convertuntur, quam sit ille ex cuius aquæ dona concione, & eodem Zelo habita, nulli convertuntur, quia etiam est optabilius complexum prius quam posterius.


387. Obijciunt 7. Illa laus & primum debetur actui, sine qua homines non sufficienter & convenienter allicerentur ad frequentandos ejusmodi actus: sed si debeatur specialis laus & primum actui externo, homines magis allicientur ad operandum, & sine hoc non ita allicerentur, prout necesse est allici: ergo. R. Negando minorem; nam quando actus externus ex defectu potestatis non sequitur ad actum internum de se efficacem, homo fecit totum ad

quod faciendum quocunque præmio proposito allici poterat: nihil ergo opus est alio præmio, quam quod proponitur actui interno.

388. Obijciunt 8. Si solus affectus inter-
nus præmiaretur, sequeretur, quod qui haberet affectum dandi eleemosynam infinitam, vel convertendi homines infinitos, mereretur primum infinitum: consequens est absurdum. Quærendum est ex adversarijs, unde proveniat, talem actum non mereri primum infinitum, cum plus mereatur, quam actus volens convertere tantum finitos, si cætera sint paria? quidquid dixerint, serviet ad solvendum argumentum; Negatur ergo sequela; quia incrementum meriti non pensatur præcisè ex incremento objecti voliti, sed etiam à modo volendi; modus autem volendi in perfectione non crescit in infinitum, sed sicut procedit ex cognitione repræsentante modo limitato objectum, ita quoque limitatur ejus perfectio.

389. Obijciunt 9. Præmium est formali-
ssima retributio pro opere exhibito in commodum præmiantis: sed præcipuum commodum consistit in actu externo, quod non solum verum est respectu hominum, sed etiam respectu Dei, nam gloria Dei maxime propagatur per actus externos edificativos & promotivos hominum ad æternam felicitatem: ergo actui externo debet respondere primum contradistinctum à præmio actus interni. R. Hoc argumento probaretur, plus præmij reddendum esse pro actu externo quam pro interno, quod nec adversarij admittunt. Negatur deinde, Deum in præmiando attendere utilitatem suam; attendit enim solum beneplacitum suum, quo vult allicere magis aut minus ad actum virtutis: quando ergo Deus revelat, aliquem actum sibi placere præ alio, hoc ipso revelat, se plus præmij daturum, & sic jam hoc ipso magis allicit.

390. Obijciunt 10. Sicut se habet satisfactio ad delendam penam residuam, ita se habet actus meritorius ad primum impetrandum: sed satisfactio non solum habet vim delendi penam per actum internum, sed etiam per actum externum superadditum, qui, nullo accedente novo libertatis exercitio, quod diuturnior est, eò plus est satisfactorius: ergo idem de merito dicendum est. R. Negando majorem & paritatem: satisfactio enim, ut dicitur in Tractatu de Pœnit: substituitur in locum satisfationis, seu pœnæ infligendæ ab illo, qui potestatem habet puniendi delicta: quando ergo conceditur locus satisfationi, tunc qui sponte se affligit & patitur, dignus est, ut tantò minus patiat in invitum: primum autem est institutum, ut esset incitamentum ad virtutem; qui finis obrinetur, etiam si solus actus internus præmiatur.



CONTROVERSIA II.

Virum Actus Voluntatis Imperatus, ex suo objecto bonus, posuit fieri malus extrinsecè, per relationem ad malum finem, & e contra.

391. **E**xemplum sit: si quis vellet confessionem sacramentalem instituere, & in hunc finem imperaret sibi ex motivo vanæ gloriæ, dolorem & propositum; vel e contra, si quis vellet furari in hunc finem, ut posset dare eleemosynam. Incipiendo ab hoc ultimo

Dicendum est 1. Actum voluntatis intrinsecè malum (qualis est voluntas furandi) non posse imperari ab actu intrinsecè bono. Probat: Actus imperans actum vitiosum & malum, non potest procedere ex motivo virtutis adæquato: ergo hoc ipso non est bonus intrinsecè. Probat: antecedens. Motivum adæquatum virtutis requirit, ut non solum ipsum objectum, sed etiam omnes circumstantiæ sint honestæ: sed hoc non potest subsistere, si actus imperatus est malus, & per consequens carens honestate objectivâ: ergo actus imperans actum malum non potest procedere ex motivo virtutis. Major probatur. Motivum adæquatum virtutis est honestas objectiva integra, & nullo ex capite deficiens: dicit enim actus virtutis. *Volo hoc, quia ex nullo capite apparet inhonestum, sed potius honestum, juxta illud desumptum ex S. Dionysio: Bonum ex integra causa, malum ex quorundam defectu:* ergo motivum actus virtutis excludit ab objecto & circumstantiis omnem inhonestatem objectivam.

Quoad priorem partem tituli, major est defensio. Aliqui enim negant, posse actum intrinsecè bonum esse malum extrinsecè. In quo tamen puncto removenda prius est quæstio de modo loquendi, quam facit P. Conink *disp. 14. de fide dub. 3. n. 19.* qui non vult debere dici malum actum imperatum ab actu malo, si actus imperatus sit intrinsecè bonus. Sed hæc est quæstio nominis. de re autem superest quæstio, an actus intrinsecè bonus possit procedere imperativè ab actu malo, quod RR. aliqui negant.

392. **DICO** tamen 2. Nullam in hoc apparere repugnantiam. Est sententia D. Thomæ q. 2. de malo a. 4. ad. 2. *Dicendum, inquit, quod illud quod consequitur speciem alicujus, semper inest ei: cum ergo actus hominis consequatur ex ratione objecti, secundum quam est bonus vel malus, actus sic specificatus in bono nunquam potest esse malus (intellige intrinsecè) nec specificatus in malo nunquam potest esse bonus. Contingit tamen NB. actui secundum*

dum se bono, adjungi aliquem alium actum malum, secundum aliquem ordinem, & secundum actum malum bonus dicitur aliquando malificari, non quod in seipso sit malus, sicut dare eleemosynam pauperi, vel diligere Deum est actus secundum se bonus, sed refertur actum hujusmodi ad finem aliquem inordinatum, scilicet cupiditatis aut inanis gloriæ, est quidem alius actus malus, &c.

393. Circa quæ verba observo 1. Quod S. Thomas non idem asserat de actu malo, qui possit extrinsecè fieri bonus, sicut asserit de bono, quod possit extrinsecè fieri malus.

Observo 2. Quod S. Thomas dicat, actum malum adjungi actui bono, referendo illum ad quibus verbis insinuat similitudinem naturæ illius actus, nam si esset prior naturâ, non diceretur ipse adjungi actui bono, sed potius iste diceretur adjungi malo. Ex his ergo, & toto contextu constat, ex mente S. Thomæ per actum imperantem non tolli libertatem actus boni imperati, vix potest qui manet bonus etiam adjuncto actu malo, item, & consequenter quidem, actum bonum quando ordinatur ab actu malo ad malum finem, non poni pro posteriori naturâ, quæ est notitia doctrina superius tradita, cum ageremus de libertate essentiali actui.

Conclusio non indiget aliâ probatione, quàm objectionum solutione. Itaque

394. **Objicies** 1. Actus intrinsecè malus non potest fieri extrinsecè bonus: ergo nec e contra. 2. Negando paritatem. Nam actus imperatus est objectum volitum ab actu imperante: quare si actus imperatus est malus, refundit malitiam in actum imperantem. At verò e contra actus imperans non est objectum actus imperati, nam actus imperati objectum semper est adæquatum idem, sive imperetur, sive sine imperio elicitur, ergo non est vnde trahat malitiam intrinsecam ab actu imperante, sed manet bonus, sicut esset bonus, si non imperaretur.

395. **Objic** 2. Actus imperans habet respectu actus imperati, sicut se habet intentionis respectu electionis, quando hæc est actus distinctus ab intentione; sed est impossibile, quod electio intrinsecè bona procedat ex intentione mala: ergo etiam impossibile est, actum bonum imperari ab actu malo. 2. Negando maiorem: disparitas autem inter electionem formalem & actum imperatum est, quod electio tendat indirectè in ipsum finem, eumque velit, quatenus ordinat medium ad illum; vult enim medium ut medium, adeoque propter aptitudinem ad finem. Actus imperatus verò non tendit in objectum actus imperantis, sed habet objectum suum speciale, ut jam dictum est.

IHS] O [MRA]

TRACTA.